



**R. P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, E Societate Iesv, In
Collegio Romano eiusdem Societ. olim Theologiæ
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales, De Sacramentis in ...**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1652

Sect. 1 Posse duo corpora esse in eodem loco, & ide[m] corpus diuinitus
simul in duplici loco.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82340)

deinceps in infinitum; in quo casu videntur consecrari infinitæ partes signatæ, distinctæ, & discontinuæ inter se. Respondetur tamen, supposita sententia Aristotelis de compositione continui, non esse validam illam consecrationem, quia per talem designationem non potest moraliter designari, quæ sunt partes consecratæ in hostia, cum non possit humana mens illas omnes concipere, nedum designare. Dices adhuc ponamus, quod Sacerdos intendit consecrare, quotquot partes quartas discontinuas valide potest prædicto modo; de illis inquiri, an sint infinitæ? nam si sunt finitæ, cur non potuit alia quarta pars designari, cum adhuc essent finitæ? Respondetur, probabile videtur, data tali intentione, consecrari aliquas partes quartas discontinuas; nam vtile per inutile non vitatur; & Sacerdos posset proculdubio, si vellet, tres, vel quatuor partes discontinuas seorsim consecrare, ergo etiam, si velit, omnes, cum non faciat dependentem consecrationem vnius à consecratione alterius, aliquæ manebunt consecratæ; illæ tamen non erunt infinitæ, sed finitæ, illæ scilicet, quas Deus scit posse humana industria moraliter designari; hæc autem non sunt infinitæ, quia industria humana finita est, & tam exigua potest iam esse pars, in qua nulla hominum ars possit designare quartam partem. Et hæc sufficiant de calibus confectis, ut iam ad grauiiores quæstiones progrediamur.

DISPUTATIO V.

De præsentia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia.

SECTIO I. *Posse duo corpora esse in eodem loco? & idem corpus diuinitus simul in duplici loco.*

SECTIO II. *Utrum corpus existens in duplici loco, debeat habere utrobique eandem accidentia, & easdem mutationes?*

SECTIO III. *Utrum accidentia, quæ dependent ab hoc loco, debeant, vel possint replicari, replicato suo subiecto?*

SECTIO IV. *Premittuntur aliqua communia de loco, & præsentia locali.*

SECTIO V. *Obiectiones aliquæ contra supradicta.*

SECTIO VI. *Quid sit spatium imaginarium, in ordine ad quod explicatur essentia præsentia locali.*

SECTIO VII. *Infertur ex dictis, qualis sit præsentia corporis Christi in Eucharistia.*

SECTIO VIII. *Utrum præsentia sacramentalis Christi pendeat à præsentia naturali.*

RIA potissimum tractari possunt de præsentia corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia. Primum; an sit possibilis. Secundum; an sit de facto. Tertium, quæ, & qualis sit hæc præsentia. Ex his secundum quidem punctum grauiissimum est; sed quia totum fere pendet ex sensu aliquorum locorum Scripturæ; latissime tractatur ab Interpretibus Scripturæ, & factum est ipsius proprium; aliunde vero controuersitæ contra hæreticos nostri temporis adeo fuscæ & plene hoc argumentum tractant, ut nihil adden-

dum super sit; & ideo Theologi Scholastici solent illud Controuersitatis, vel Scripturæ interpretibus relinquere; de aliis ergo, quæ magis ad Scholasticam disputationem spectant, Scholasticorum more in præsentem agemus.

Solum posset circa hoc fidei dogma dubitari, an sit fidei articulus, sicut mysterium Trinitatis, vel Incarnationis. Articulus fidei tripliciter sumi potest, ut notauit Sotus in 4. distinct. 9. quæst. 2. artic. 1. Nam in primis accipitur pro veritate fidei in Conciliis definita; secundo, pro veritate in Scriptura expressa; tertio, pro articulo in symbolo fidei contento. Quo supposito, non est dubium, quin hæc veritas primo, & secundo modo sit articulus nostræ fidei; difficultas potest esse, an sit etiam articulus in symbolo contentus, & cur de eo non fiat ibi in speciali professio. Non enim videtur posse negari, quod habeat specialem difficultatem diuersam ab aliis articulis, ut concedunt Scotus in 4. dist. 10. quæst. 1. Durand. v. o. u. Sotus ubi supra. Ledesma 1. p. 4. quæst. 16. artic. 1. Gabriel in Canonem. lect. 39.

Respondent alij hoc mysterium includi in articulo omnipotentiae Dei, quo fatemur, Deum omnia miracula operari posse. Sed contra; quia aliud est fieri, Deum posse; aliud fieri, quod fecerit; præsertim quod aliquis contendit, hoc implicare contradictionem, & ideo non potuisse fieri. Alij dicunt, contineri sub articulo communionis fidelium, seu sub articulo sanctificationis nostræ. Sed contra; quia communio fidelium non est magis propria huius sacramenti, quam aliorum, nisi per quandam approbationem. Iterum in articulo sanctificationis non continetur, nisi implicite, sicut alia media sanctificationis.

Melius ergo respondetur, in symbolo ea solum contineri, quorum cognitio per se requiritur, & non ut medium ad aliud ordinatum. Nam omnes partes Symboli creduntur per se, & non ratione implendi aliud præceptum; sed præcise ad cultum fidei, & ad percipiendam eius notitiam. Fides autem Eucharistiae tota est necessaria propter vsum illius, & ad implendum præceptum sumendi Eucharistiam; & ideo merito prætermittitur in symbolo, utpote cuius notitia ex vi alterius præcepti habenda esset. Posset tamen Ecclesia edere symbolum, in quo hæc veritas contineatur, si id expedierit, ut in sacramento Baptismi factum est, quod iam expresse confitemur in symbolo Nicæno ex præscripto Concilij Constant. & de facto in Concilio Later. cap. 1. in professione fidei inter alios fidei articulos hunc etiam de reali præsentia Corporis Christi profiteretur.

Dices; ob eandem rationem potuit omitti in symbolo articulus remissionis peccatorum: nam hic etiam articulus sciri debuit ex alio capite, scilicet ex præcepto suscipiendi sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ ad tollenda peccata. Respondetur, hanc obligationem non esse tam generalem, ut omnes fideles comprehenderet, nam qui baptizantur in infanzia, & postea non habent peccatum graue per Pœnitentiam expiandum, non habent præceptum Pœnitentiæ, oportet tamen eos habere fidem explicitam illius articuli, qui continet vnum ex præcipuis fundamentis Christianæ religionis.

SECTIO I.

Posse duo corpora esse in eodem loco; & idem corpus diuinitus simul in duplici loco.

IN hoc mysterio duo potissimum mirabilia sunt circa sacratissimum Christi corpus: quod autem

dicitur de corpore, idem omnino dicendum est de sanguine. Primum est, quod omnes eius partes inuicem penetratæ sint in qualibet parte hostiæ, ita ut ubi est caput, ibi etiam sint & pedes, & alia omnes partes. Secundum est, quod idem corpus Christi sit simul in cælo, & in Eucharistia; in hoc altari, & in aliis multis, quæ duo videntur esse contra limitationem rei corporeæ: quare prius videtur aliquid præmittendum de utriusque possibilitate in ordine ad Diuinam potentiam.

7. Primo igitur concedunt omnes naturaliter lo-
Quid certum sit apud omnes, primo.
Secundo.
Tertio.
Quarto.
quando non posse idem corpus existere simul in duplici loco; quod ipsa experientia tam clare testatur, ut nulla indigeat probatione: cur autem nec Angelus id possit, dicemus in materia de Angelis. Secundo concedunt, non posse naturaliter duo corpora esse simul in eodem spatio; quod etiam testatur ipsa experientia, hoc enim prouenit à quantitate, cuius effectus formalis est reddere subiectum impenetrabile cum alio corpore quanto, imo & ipsas partes impenetrabiles inter se, & per consequens extensas localiter. Tertio concedunt Catholici, corpus, ablata quantitate, posse penetrari cum alio corpore quantumuis quanto, imo & adhuc retenta quantitate, posse auferri à Deo actualem extensionem localem partium, & actualem impenetrationem, ita ut de facto penetraretur cum alia quantitate, sicut de facto corpus Christi, retenta sua quantitate, ponitur in Eucharistia sine extensione partium, & sine impenetratione; penetratur enim actu cum quantitate panis; nam licet corpus Christi retineat quantitatem, non tamen retinet modum quantitatum. Quarto concedunt, corpus aliquod, adhuc retenta quantitate, posse constitui à Deo simul in duplici, & multiplici loco, dum tamen non sit in illis omnibus modo quantitatum. Hoc patet ex eodem mysterio Eucharistiæ: nam licet Christus Dominus in cælo habeat extensionem quantitativam; in Eucharistia tamen habet alium modum essendi, & ideo collocatur simul in pluribus altaribus; quod aduersus Hæreticos probatur, primo, quia in hoc nulla ostenditur repugnantia contradictionis, secundo, quia duæ vicationes sunt duæ formæ accidentales contrariæ; ergo sicut de potentia absoluta possunt se compati simul calor, & frigus in gradu intenso in eodem subiecto: sic etiam poterunt duæ vicationes distingi.

8. Duo supersunt inquirenda; primum, utrum in eodem spatio possit poni simul de potentia absoluta duplex corpus, utrumque cum extensione, & modo quantitatum? Secundum est, utrum de potentia absoluta possit idem corpus cum modo quantitatum poni simul in duplici loco distant?

Circa primum negant plures ex antiquioribus, & recentioribus, quia modus quantitativus est ipsa actualis impenetratio; sed solum potest esse actualis impenetratio cum actuali penetratione; ergo nec duo corpora cum modo quantitatum possunt compati in eodem spatio.

9. Dico primo, retentis iisdem omnibus modis, & accidentibus positiuis, quæ quodlibet illorum in absentia alterius haberet, possunt se compati de potentia absoluta in eodem spatio. Probatur, quia meum corpus nunc in hoc spatio solum habet quantitatem, & talem extensionem localem partium: sed cum toto hoc compatitur secum aliud corpus, quantum de potentia absoluta; ergo, nullo ablato positiuo, compatitur, secum aliud corpus quantum. Maior negatur à nonnullis; dicunt enim in meo corpore non solum dari quantitatem, & præsentiam localem, sed etiam modum alium positiuum, qui dici-

tur extensio quantitativa, cum qua non potest esse aliud corpus. Sed contra istam sententiam probatur maior supra posita; quia tota ista extensio nihil aliud est, quam vnā partem esse extra aliam localiter; per hoc enim solum, quod ego habeam manus in vna parte spatij, & pedes in alia, & sic de aliis, intelligitur sufficienter, me habere totam extensionem actualem, quæ exigitur à quantitate; ergo superfluum est ille modus superadditus. Hoc ergo supposito, probatur minor supra posita in primo syllogismo; quia cum hac præsentia locali, quam ego habeo in hoc loco, potest esse de potentia absoluta præsentia localis alterius hominis extensi, quod in primis probatur exemplo Christi Domini adhuc cum sua præsentia locali extensa penetrari cum claustro vteri virginis, & cum lapide sepulchri, & cum ianuis clausis Cœnaculi. Deinde ratione, quia non repugnant essentialiter, sed tantum naturaliter hoc meum *vbi* cum *vbi* alterius corporis; ergo, retenta mea quantitate, & hoc meo *vbi*, potest esse aliud corpus in hoc spatio de potentia absoluta; ergo de primo ad vltimum, retento omni modo, & accidenti positiuo, quod nunc habeo, potest de potentia absoluta poni aliud corpus in hoc eodem spatio. Confirmatur, quia quando corpus Christi ascendentis in cælum penetratum fuit cum cœlis, non ideo cœlum perdidit aliquem modum intrinsecum extensionis quantitativæ; alioquin posset etiam tunc ignis, vel ær penetrari cum cœlo; ergo potest retineri tota extensio, & omnia alia accidentia intrinseca, quando vnum corpus diuinitus penetratur cum alio.

Dico secundo: non possunt compati se duo corpora quanta in eodem spatio retenta actuali impenetratione. Hæc patet ex terminis; quia impenetratio actualis contradicit actuali penetrationi duorum corporum. Cæterum hæc conclusio non opponitur cum præcedenti; quia diximus, posse compati se duplex corpus quantum in eodem spatio sine ablatione alicuius positiui; quia actualis impenetratio, quam modo dicimus auferri in tali casu, non est aliquis modus positiuus, sed est negatio alicuius vicationis alterius corporis in eodem loco: hæc autem negatio auferretur necessario eo ipso, quod ponatur aliud corpus in eodem loco.

Petes; si duo corpora quanta penetrarentur, retenta sua extensione quantitativa, quomodo se haberent in ordine ad agendum, & patiendum? Respondetur in primis, si illa corpora essent eiusdem coloris, & figuræ, non discerneret visus, utrum ibi essent duplex, vel vnicum corpus; si vero haberent diuersos colores, appareret quasi vnum corpus habens colorem medium similem illi, qui resultat per confusionem pulueris diuersi coloris. Item, quodlibet illorum corporum posset pati à quolibet agente extrinseco, & agere in ipsum, perinde ac si esset solum in illo loco. Denique illa duo corpora possent mutuo in se agere, ac si non essent penetrata; quia quodlibet illorum habet naturalem modum existendi: penetratio autem non impedit, imo potius adiuvat ad actionem; quia habent inter se maiorem præsentiam, quam si solum essent contigua.

In secunda quæstionis parte, aduersarij habemus S. Thomam, Bonaventuram, & alios graues Auctores, quos affert Suarez *disput. 48. sect. 4.* qui negant etiam de potentia absoluta posse idem corpus circumscriptiue, seu quantitativè existens, poni simul in duplici loco: quam sententiam iterum defendendum suscepit Valquez in *præsentis disput. 189. cap. 6.* Verior, tamen, & communis iam sententia affirmat, quam late probat Suarez *vbi supra*, *vbi* affert pro ea plures Doctores etiam ex antiquioribus.

Probatur

13. Probatur primo; quia potest corpus quantum privari à Deo omni vicatione circumscriptiva, & solum habere vbi definitivum, vt aduersarij admittunt; ergo poterit etiam corpus quantum habere simul duas vicationes circumscriptivas. Probatur consequentia, quia plus est, & magis repugnat corpori quanto, privari omni vicatione circumscriptiva, quam habere duas: Vbicatione enim circumscriptiva est passio corporis quanti; quare sicut magis repugnat igni carere omni calore, quam habere duplicatum calorem (illud enim esset carere passione, quam postulat: hoc autem solum est accipere, quod non postulat;) sic etiam corpori quanto magis repugnat carere omni vicatione circumscriptiva, quam habere duas; ergo si Deus potest facere primum, poterit & secundum.

14. Probatur secundo; quia non repugnat de potentia absoluta, eandem albedinem esse in duplici subiecto distincto, vt omnes admittunt; ergo nec repugnabit, idem corpus esse quantitativum in duplici loco; quæ enim maior est in hoc repugnantia?

Tertio probatur, quia possunt de potentia absoluta duo corpora extensa esse simul in eodem loco circumscriptive, vt probatum est supra; ergo & vnum corpus poterit esse per miraculum in duplici loco circumscriptive; non enim est maior repugnantia in secundo, quam in primo.

15. Respondent negando consequentiam; quia de ratione vnius est esse indivisum in se, & diuisum à quolibet alio; ita tamen, vt esse indivisum in se sit illi magis intrinsecum, quam esse diuisum à quolibet alio; quando ergo duo corpora ponuntur in eodem loco, solum videtur fieri, quod vnum corpus non diuidatur ab alio; at vero, si vnum corpus ponatur in duplici loco, sequitur, idem esse diuisum à se, quod fieri non potest.

Sed contra; primo, quia si solutio aliquid valeret, probaret etiam, vnum corpus non posse esse definitivum in pluribus partibus, quia tunc etiam diuideretur à se ipso. Contra secundo, quia tam repugnat ad rationem veræ unitatis non esse diuisum hoc ens, quod est vnum, à quolibet alio ente, quam esse diuisum in se; ergo etiam repugnet, duo corpora esse in eodem loco: vel si non repugnet simul localis duobus corporibus, neque etiam repugnet diuisio localis eidem corpori.

16. Quarto probatur ex hoc mysterio Eucharistiæ, in qua Christus vere, & realiter est præsens, licet per vicationem definitivam; ex hac enim arguitur possibilitas vicationis circumscriptivæ in duplici loco; primo, quia vicatione circumscriptiva, sicut petit, corpus non poni in alio loco circumscriptive, sic etiam postulat, non poni alibi definitivum: petit enim corpus non esse alibi, quam ibi, vbi circumscriptivum; ergo si corpus, quod est in cælo circumscriptivum, poterit poni de potentia absoluta alibi definitivum, poterit etiam poni alibi circumscriptivum. Deinde probatur eadem consequentia, quia nulla potest afferri probabilis ratio repugnantia, quæ magis impossibilem reddat secundum casum, quam primum, vt ex solutione earum constabit.

17. Prima ergo contradictio hæc est; sequeretur enim, corpus illud esse in loco circumscriptive, & non esse circumscriptivum: primum admittitur in conclusione, secundum probatur, quia circumscriptum in hoc loco, est terminari in hoc loco, vt nomen ipsum sonare videtur; ergo finiri in hoc loco; ergo non esse extra; ergo non esse in alio loco; ergo si ponitur in alio loco, non ponitur hic circumscriptivum.

Hæc obiectio si aliquid probat, probat etiam, id quod est circumscriptivum in vno loco, non posse

in alio esse definitivum; quia si in primo loco circumscriptivum, & terminatur, non poterit esse extra illum aliquo modo, cum tamen oppositum habeat de facto corpus Christi, cui circumscriptio, quam habet in cælo, & quam habuit in cæna, non oblitit, quominus alibi miraculose existeret, & existeret. Deinde respondeo, de essentiali ratione vicationis circumscriptivæ solum esse, quod corpus sic circumscriptum in vno loco habeat partem extra partem, & ita commensuretur loco, vt naturaliter non possit alibi existeret: vicatione enim illa non dicit essentialiter negationem alterius vicationis.

Obiiciunt secundo, effectus formalis alicuius forme non potest crescere, nisi crescat ipsa forma, non enim potest aliquis esse magis calidus, nisi crescat calor: sed extensio localis est effectus formalis quantitatis; ergo non potest idem corpus habere duplicem extensionem localem, nisi habeat duplicem quantitatem: ergo idem corpus cum eadem quantitate non potest poni in duplici loco extensum. Respondeo extensionem localem actualem esse quidem passionem quantitatis, non tamen esse effectum formalem quantitatis: alioquin si esset eius effectus formalis, non posset poni à Deo corpus quantum sine extensione actuali, sicut non potest poni calor in subiecto, quin reddat illud calidum. Potest ergo corpus quantum habere de potentia absoluta duplicem extensionem localem, sicut potest ignis habere duplicem calorem; quia est eius passio.

Obiiciunt tertio; si potest idem corpus quantitativum poni in duplici loco, ergo & in pluribus; ergo & in omnibus; ergo erit vbique; ergo erit immensum. Hoc autem est impossibile; quia immensitas est attributum Dei incommunicabile creaturæ. Hoc argumentum æque militat contra mysterium Eucharistiæ: nam si potest poni idem corpus, vel eadem anima definitivum in pluribus locis, ergo & vbique, ergo erit immensa, immensitate multo magis simili immensitati Divinæ, quam si corpus esset circumscriptivum vbique, quia in illo primo casu esset tota anima in toto, & tota in qualibet parte spatij, sicut Deus. Ad argumentum. Respondetur, impossibilem esse multitudinem vicationem infinitam, qualis requireretur ad existendum vbique, per plures præsentias circumscriptivas. An vero possit per vnicam vicationem esse vbique, alibi examinandum est.

Obiiciunt quarto, si idem corpus ponitur hoc modo in duplici loco, sequitur, idem corpus distare à se ipso, & diuidi à se ipso, quod est impossibile. Hoc etiam æque militat contra Eucharistiæ: cur enim magis distaret, vel diuideretur à se ipso corpus in duplici loco circumscriptivum existens, quam modo Christus proit in cælo, & in Eucharistia distat, vel diuiditur à se ipso.

Ad argumentum ergo Suarez de sect. 4. in responsione ad 2. dicit, non esse inconueniens, idem positum in duobus locis distare à se ipso; quia proit habet vnam vicationem, distat à se ipso, proit habet aliam. Ego tamen libentius negarem, licet quæstio sit de nomine, quia distantia dicit distinctionem duorum, quæ distat: quare sicut idem homo cum duplici albedine non diceretur similis sibi; nec idem homo cum albedine, & nigredine diceretur dissimilis sibi, nec idem homo cum duplici vicatione in eodem loco, diceretur proximus sibi ob defectum distinctionis; sic nec idem homo in duplici loco diceretur distans à se; quia eadem est ratio in omnibus. Quem modum loquendi probat idem Suarez eadem disp. 48. sect. 1. §. secundo colligitur. Deinde à fortiori non diceretur diuisus à se, quia diuisio non solum

18. Obiectio secundo.

Respondetur.

19. Obiectio tertia. Responsio.

20. Obiectio quarta.

Responsio.

solum dicit distantiam, sed clarius importat distinctionem; diuidi enim vnum ab alio, est vnum non esse aliud, nec habere aliquam vnionem cum illo: vbi autem est identitas, non potest esse diuisio.

21.
Obiectio quinta.
Obiiciunt quinto, si idem corpus poni potest in duplici loco per duplicem præsentiam quantitativam, ergo & poterit etiam poni in eodem loco per duplicem, & per plures præsentias; ergo esset bis, & pluries simul in eodem loco, quod tamen non videtur posse concipi. Hoc etiam militat contra Eucharistiam, quia si Christus ponitur definitiue in pluribus locis, ergo poterit etiam poni bis, & pluries in eodem loco; quod de facto contingeret, si penetraret Deus species panis cum speciebus vini. Respondetur ergo admittendo sequelam, in qua nullum reperitur absurdum.

22.
Obiectio sexta.
Obiiciunt sexto, si idem corpus ponitur in duplici loco, ergo est maius quolibet illorum locorum seorsim sumpto; occupat enim duplo maius spatium; ex hoc autem sequitur, locatum non esse æquale cum loco, quod est contra Aristotelem, & contra essentialitatem loci. Respondetur, si sermo sit de æqualitate inter rem locatam, & locum, tunc corpus illud non esset de se æquale vtrique loco simul sumpto, sed singulis seorsim, quia hæc æqualitas consistit in aptitudine, quam de se quantitas illius corporis habet ad replendum illud spatium, & non plus. Si vero comparatio fiat inter extensionem actualem illius corporis, & loci ipsius, vere vtrique extensio esset æqualis vtrique loco, & singulæ extensiones singulis locis, & per consequens corpus illud haberet extensionem duplo maiorem singulis locis, in quo nihil est absurdum: maneret enim verum, quod corpus ipsum de se non esset maius, sed æquale vnicuique loco.

23.
Septima obiectio.
Vasquez.
Obiicit septimo P. Vasquez; quia si poneretur idem lapis in duplici loco, & vtrobique esset extracentum, ergo vtrobique grauitaret in centrum; ergo si vtrobique relinqueretur, vtrobique tenderet in centrum per propriam grauitatem: hoc autem est impossibile, quia iam lapidis haberet virtutem naturalem ad producendas duas præsentias simul; ergo etiam erit impossibile id, ex quo sequitur.

Responsio.
Respondetur, hoc argumentum procedere etiam contra duas præsentias, quarum vna sit definitiua, & altera circumscriptiua; nam eodem modo potest replicato corpore Christi in Eucharistia, an idem corpus existens in celo possit naturali virtute mouere se localiter, vel quando erat in terra, an posset naturaliter grauitare, & tendere deorsum? Videtur enim, quod non posset, quia grauitas, vel potentia progressiua naturalis, sicut non habet virtutem ad producendas duas præsentias simul, sic nec ad producendam vnā, quando est alia producta ab alio agente; ergo cum idem corpus sit alibi, scilicet in Eucharistia, non potest naturaliter accipere secundam præsentiam tunc a virtute naturali; ergo corpus Christi ibi, vbi existit circumscriptiue, non grauitaret, sed maneret naturaliter suspensum in aere; nec posset ambulare, aut se villo modo mouere. Quod ergo P. Vasquez dixerit in sua sententia, dici poterit in nostra.

24.
Quidam ad argumentum respondent.
Hurtado.
Ad argumentum itaque aliqui fatentur, quod si poneretur idem corpus circumscriptiue in duplici loco, in neutro posset connaturaliter moueri, aut grauitare, nisi Deus adderet nouas vires ad illum motum, quas Deus non deberet addere ex suppositione prioris miraculi. Ita videtur sentire P.; Hurtado *disp. 13. Physica, c. 5. n. 56.* cum aliis Recentioribus. Hoc tamen in vniuersum dictum difficile est; primo, propter rationem supra tactam; quia nimirum dicendum esset, corpus Christi de facto ex

suppositione præsentia Eucharistica non posse connaturaliter moueri in celo, sed debuisse omnino quiescere in eo loco, in quo inuenitur, ita vt nec posset mouere labia, vel linguam ad loquendum, nec cor posset suum motum in terra exercere, & hæc omnia esse noua miracula, cū connaturaliter prioris miraculo deberetur quies; & immobilitas omnimoda in illo alio loco, vbi existit circumscriptiue.

Secundo, quia eodem modo dicendum esset quod quando miraculose vnū corpus penetratur cū alio, ex suppositione eius miraculi non possit alterū solū ex iis corporibus localiter moueri, sed debeat, vel vtrumque simul moueri, vel vtrumque fisteri; quia partes singulæ corporis per motum incipiunt de nouo penetrari cum aliis partibus illius alterius corporis, corpus autem non habet virtutem naturalem ad illam nouam penetrationem, hoc est, ad producendum vbi nouum in eo spatio, in quo est aliud corpus resistens; ergo illud corpus semel penetratū non posset vterius progredi, nec grauitaret lapis, si esset penetratus cum aere, sed deberet connaturaliter quiescere, vel moueri simul cum ipso aere: imo nec simul cum aere posset connaturaliter moueri; quia iam tunc etiam produceretur vbiatio noua, ad quā producendā non habet naturalem virtutem corpus illud in eo spatio, in quo reperitur aliud corpus. Vnde quando corpus Christi penetratum erat cum portis Canaculi, ex suppositione illius penetrationis semel factæ, connaturaliter debebatur, quod non progrediretur vterius, nec exiret ex spatio, in quo erat porta; nec etiam regrederetur, sed semper maneret penetratum cum porta; quia quicumque motus versus quamlibet partem esset nouum miraculum propter nouam resistentiam, & propter defectum virtutis naturalis ad illum motum.

Ex hoc ergo exemplo colligere possumus faciliorem responsionem ad argumentum illud P. Vasquez; nam in vtroque casu, scilicet, quando duo corpora penetrantur, & quando idem corpus ponitur in duplici loco, potest Deus multipliciter se habere in eo miraculo operando. Primo enim potest Deus se solo illud operari, ita vt corpora ipsa non concurrant ad eum motum, vel præsentiam, per grauitatē, aut potentiam loco motuiam propriam. Secundo, potest Deus concurrere cum ipsismet corporibus, ita vt v. g. lapis sua grauitate tendat deorsum, & transeat per spatium, in quo est alius lapis, perinde ac si nullum esset impedimentum, vel quod homo per suam propriam virtutem conseruet suum vbi; quo stat Romæ innixus suis pedibus, perinde ac si non esset replicatus Neapoli; qui Dei concursus non erat debitus lapidi, vel homini in illis circumstantiis propter impedimentum naturale alterius corporis, vel alterius vbiationis, atque adeo erit concursus supernaturalis saltem quoad modum.

Non tamen desunt, qui dicunt, id fieri media qualitate supernaturali, quam Deus ad hunc finem imprimit corpori, prout de corporibus gloriosis sentiunt aliqui, habere qualitatem supernaturalem, qua possunt penetrari cum aliis corporibus, quando volunt; de quo late P. Salas *1. tom in 1.2. tract. 2. disp. 14. c. 19.* iuxta quam sententiam idem dici posset de corpore replicato in duobus locis, quod habeat similem qualitatem supernaturalem, qua possit se mouere, non obstante illo impedimento alterius præsentia in altero loco.

Hoc supposito, si Deus priori modo se gerat, facile possumus concedere, corpus illud in neutro casu se posse mouere; quia Deus non vult dare illi concursus aliquem indebitum, sed vult se solo illud ponere in tali vel tali spatio: cum ergo aliunde posset

fit impedimentum naturale ad quamlibet præsentiam propria virtute producendam, non mirum, quod non possit illud corpus mouere se, sed solum moueri à Deo, qui ipsum in tali spatio cum illis impedimentis collocauit. Lapis ergo cum alio lapide eo modo penetratus à solo Deo nolente dare concursum indebitum lapidi, non poterit propria grauitate descendere, nec homo posset ambulare, vt regrederetur vel progrediretur vterius, sed deberet ibi manere inclusus, donec extraheretur à Deo qui illum ibi clausit. Similiter homo eo modo positus in duobus locis à solo Deo nolente illi dare concursum indebitum, in neutro loco posset ambulare, & mouere se, sed solum posset moueri à Deo, propter impedimentum alterius præsentia, cum qua non potest homo propria virtute aliam præsentiam simul producere.

29. *Non tamen hic contingit.* Ceterum de facto Deus in eiusmodi miraculis non se gerit hoc priori modo, sed posteriori volendo scilicet, quod corpora propria grauitate, aut virtute motiua operentur, & producant, vel conseruent illam præsentiam, non obstante naturali impedimento alterius corporis, vel alterius præsentia eiusdem corporis. Sic quando corpus Christi penetratum fuit cum Virginis vtero in natiuitate, vel cum portis Cenaculi, voluit Deus concurrere cum ipso corpore ad motum localem, & ad præsentiam producendam per potentiam suam motiua, non obstante illo naturali impedimento alterius corporis. Sic etiam quando corpus Christi positum fuit in Eucharistia manens in cena visibile apud Discipulos sicut prius, volebat Deus concurrere cum illo corpore ad conseruandum suum *vbi*, quod habebat in loco, *vbi* stabat, vel recumbebat; ita vt illa præsentia penderet à virtute propria ipsius corporis, sicut prius, non obstante illa secunda præsentia eiusdem corporis in alio loco. Sed denique, quando aliqui sancti viri miraculose positi sunt à Deo in duobus locis distantibus, prout de Sancto Francisco Xauerio refertur in eius historia, ita positi sunt, vt eorum præsentia localis penderet ab ipsis, & non à solo Deo; nam eodem modo ambulabant, stabant, & mouebantur à se ipsis, sicut antea.

30. *Ex supposito priore miraculo illud corpus debet moueri & grauitate, &c.* Quando ergo Deus eo modo replicat corpus in alio loco, fatendum videtur, ex suppositione primi miraculi, posse, & debere illud corpus moueri, & grauitate, sicut si esset in vno solum loco. Probatur ex dictis; & quidē si ad hunc finem additur qualitas intrinseca, vt aliqui volebant, constat illa ex vi illius qualitatis debere corpori motum, ad quem ordinatur talis qualitas; sicut corpori glorioso ex vi similibus qualitatis in ea sententia debetur concursus ad transcendendum per aliud corpus. Si vero non ponatur talis qualitas, sed Deus solus concurrens ad eum motum, adhuc ex suppositione talis replicationis debet concursus Dei, quia supponimus, Deum voluisse Petrum v.g. manere Romæ stantem, vel iacentem, sicut erat prius, atque adeo cum vocatione conseruata à sua propria virtute, qua sustinet corpus stando, vel à grauitate, à qua procedit vocatione iacentis; quando autem aufertur corpus, quod erat infra ipsum, & à quo sustinebatur, non poterit amplius propria grauitate conseruare illud *vbi*; nam grauitas non potest conseruare *vbi* corporis grauis in aëre, sed debet inferius descendere; quod idē est, si prius propria virtute stabat, & auferatur pauiētum, cui pedes innitebantur; tunc enim propria virtus non potest amplius conseruare illud *vbi*; ergo si Deus volebat Petrum esse Romæ cum præsentia producta, vel conseruata à virtute, aut grauitate propria, necesse est, vt possit in iis casibus grauitate,

aut ambulare ad acquirendum aliud *vbi*, quod possit prouenire ab eius virtute, aut grauitate loco *vbi* præcedentis. Vnde consequenter dicendum est, posse etiam Petrum in illo loco ambulare pro libito, deberique ei concursum ad ambulandum, & mouendum linguam, labia, manus, &c. quia volente ipso ambulare, iam potentia, & virtus motiua ipsius non potest amplius conseruare vocationem, quam prius conseruabat dum stabat; virtus enim motiua hominis non potest operari, aut producere vocationem, nisi ex imperio appetitus, vel voluntatis; ergo cessante imperio voluntatis circa vocationem, non poterit amplius virtus naturalis Petri conseruare illam vocationem præcedentem; ergo si pedes, vel lingua debent esse Romæ per vocationem prouenientem ab ipso Petro, debet dari ei concursus ad illam aliam vocationem producendam, quam vult producere per illum motum localem, quem imperat. Similiter si prius iacebat, & postea velit surgere, grauitas, quæ conseruabat prius *vbi*, non potest naturaliter resistere conatui, vel voluntati efficaci, quia homo vult surgere; ergo non potest amplius conseruare illud prius *vbi*, & per consequens debetur Petro concursus ad aliud *vbi*, si debet manere, Romæ per *vbi* proueniens ab ipso.

32. *Quando corpus prius replicatur, illud potest dupliciter contingere.* Aduerte item, quando eo modo replicatur à Deo corpus in duobus locis, posse adhuc id dupliciter contingere. Primo ita vt Deus velit in vtroque loco corpus habere *vbi* dependentem à propria grauitate, vel potentia passiva; & tunc posita eiusmodi replicatione, debetur corpori in vtroque loco concursus ad motum, siue progressiuum, siue grauitationis, prout occasio tulerit, propter rationem supra positam. Sic sancti illi viri, qui miraculose in diuersis simul locis eodem tempore visi sunt, in vtroque loco mouebantur, & conseruabant suas vocationes, sicut si essent in vno solo loco. Secundo, potest Deus velle, corpus esse in altero loco per *vbi* acceptum à solo Deo, vel causa aliqua supernaturali; in altero autem loco per *vbi* dependens à virtute, vel grauitate propria ipsius corporis; & tunc in vno solum loco debetur ei concursus ad ambulandum, grauitandum, &c. Sic ponitur de facto corpus Christi in Eucharistia per *vbi*, non proueniens à grauitate, aut potentia motiua ipsius corporis, sed vel à Deo, vel à virtute supernaturali, quæ sit in speciebus, vt postea videbimus; in cælo tamen manet per vocationem dependentem à virtute ipsius corporis, atque ideo in cælo solum debetur ei concursus ad motus locales propria virtute efficiendos, non in Eucharistia. Ex quibus omnibus patet iam responsio ad illud fundamentum P. Vasquez.

33. *Obiectio vltima.* Obiiciunt vltimo; quia sequeretur, eundem hominem viuere simul, & mori, amare, & odio habere idē obiectum; frigidari, & calefieri; ac denique peccare in vno loco, & in alio mereri. Hoc argumentum fere æque militat contra Eucharistiam; quia etiam ex hoc mysterio sequi videtur, posse Christum mori extra Eucharistiam, & in Eucharistia non mori; amare in cælo, & odisse in Eucharistia; & sic fere de aliis. Quid autem dicendum sit in his casibus, peculiarem petit disputationem, de qua sectione sequenti.

SECTIO II.

Vtrum corpus existens in duplici loco, debeat habere vtroque eadem accidentia, & eandem mutationes?

34. *Suarez.* Hanc questionem late disputat Suarez *vbi supra* sect. 5. & 6. à cuius tamen doctrina aliquantulum